

3
M. BRESSII

DE SENATVS ET

REGIORVM PROFES-

SORVM ET MATHEMA-

ticorum erga se beneficio

Oratio iij.



6485
(3)

PARISIIS,

Apud Ægidium Gorbinum, sub insigne Spei,
è regione Collegij Cameracensis.

1577.

AP

M. B. R. E. S. S. I. T.

D. E. S. E. N. A. T. V. S. E. T.

R. E. G. I. O. R. U. M. P. R. O. F. E. S. S.

S. O. K. U. M. E. T. M. A. T. H. E. M. A. T.

I. N. C. O. M. P. U. T. A. T. I. O. N. E.

O. R. I. G. I. N. E.



P. A. R. I. S. I. T.

Lib. Typogr. Commun. Lib. Ind. Spec.
Biblioth. Coll. Univers.

1777



ILLVSTRISSIMO
ET OMNI LAVDE CVMV-

LATISSIMO VIRO IOH.


Guellio, Cognitori Regio, M.

Bressius cliens ipsius offi-
ciosissimus S. P. D.

QVI longa se aut periculosa nauigatio-
ni committunt, vir clarissime, Deo so-
lent aut diuorum alicui pro incolumi
fortuna vota facere, & quidem vota
eiusmodi, quæ ipsis quibus nuncupant
gratissima esse casura rentur. Ego cum Mathematicæ
professionis certamen subiij, tanquam me in vastum
quoddam pelagus variis obiectum procellis & tempe-
statibus darem, cæteris quidem omnibus quorum illu-
stre quoddam erga nos studium extitisset, omnia officia:
Tibi verò, primum de grege nostro fætum voui. Quem
ego nunc voti damnatus reusque offero: Magis adeò voti
persoluendi gratia, quàm quod luce atque hominum
oculis dignum putem. Etenim non vos summos viros
fundis, non equis, non pretiosis donare vestibus, aut ex-
quisitis accipere possumus epulis (quæ qui facerent, Græ-

co cuiusdam oratori, cauponari videbantur potius & be-
neficium scenerari, quàm dare) sed fungi tamen gratia-
rum agendarum & laudum vestrarum predicanda-
rum officio possumus. Quod cum erga ceteros omnes, qui
suo nos sibi obstrinxerunt & obligarunt beneficio, tum
vero erga te qui non in postremis es fautorum nostro-
rum, fautorum Academiae reiue literariae, praestare
conabimur. Dum hanc ad te scriberem, videbam fore ut
ea te promissi beneficii commonefaceret, atque ut id
quod tam feliciter inchoasti, absolutum, & tibi nos
Academiamq; in perpetuum obstrictam velles &
obligatam. Ego vero, ut blandè rogaret, non importunè
flagitaret, mandavi. Vale.





M. BRESSII DE SENA-
TVS ET REGIORVM

PROFESSORVM ET MA-

thematicorum erga se bene-
ficio Oratio iij.

PLV RIMVM rem militarem ho-
diernam, V. Cl. ab illa prisca vete-
rique dissimilitudinis habere, ne-
minem omnium latere arbitror.
Nam neque instruendi exercitus,
nec loci muniendi, nec præliandi, nec castrame-
tandi ratio est penitus eadem. Sed in oppugna-
tione oppidorum, in armorum genere ac telo-
rum, multo maximū ipsarum inter ipsas disci-
men videas. Olim ariete muri diruebātur, ma-
chinis & Helepolibus mœnia conquassaban-
tur: At vnum est hodie & expugnandarum vr-
bium, & turriū enertendarum, omnisque om-
nino bellicæ fulmen dimicationis, tormentum
aheneū: quod cum impetu incredibili, sonitū-
que & tonitru terribili, obuia præterit & com-
minuit omnia. Nec idcirco tamen non suis etiā
sæculis, illæ priscorū Helepoles ad vrbiū mœ-
nia instar montium appropinquantes horro-

res, terrorésque grauissimos incusserunt. Testis illa Marcelli Helepolis, quā ipse proprio sambucā nomine nuncupabat, quæ nisi Archimedearum machinarū disiecta perruptaque fuisset missilibus, acerbissimum Syracusiis exitium fuerat allatura. Testes illæ Demetrii Helepoles, quarum vel maximè tum fabricandarum peritia, tum vtendarum solertia, gloriosissimum illud poliorcetæ expugnatorisqve vrbiū, vt mea quidē fert opinio, nomen adeptus est. Sed eius ea comprimis insignis fuit Helepolis, quam ad Rhodi obsidionem labore summo & industria, sumptibúsque immanibus comparauerat, altitudine 125. pedum, latitudine pedum 60. ciliciisq; eam & crudis coriis sic texerat, vt pati posset plagam lapidis balista immissi pondus 360. Quam cū ad vrbis mœnia admouerer, consternati pauore Rhodij ad mathematicum Calliam confugerūt, atque vti eam machinis suis, quemadmodum pollicitus esset, in urbem transferret, orauerunt. Hic siquidē Callias aliquot antè annis, cū Rhodum venisset, specimen artis suæ ediderat, transferenda quibusdam machinis intra murum Helepoli, quarum machinarū nouitate, & stupendo planè miraculo, sic omnium animos stupefecerat, vt Rhodij quam antea Diogneto architecto suo excellentissimo de publico mercedē iugorannis persolvere consueuerāt, ea priuato spoliatoque ipso, Calliam ornarent. Cum hoc de-

cepti documine Rhodij, multum in Callia vr-
 bi reique suæ publicæ esse constitutum præsidij
 putarent, omnes tum in ipso articulo in eum
 oculos coniecere, orare vti Helepolim corripe-
 ret, ac in urbem inferret. Hic Callias, cùm lon-
 gè dissimilem huius atque illius quam antea in
 urbē intulisset molem, dispar ac dissimile pon-
 dus cerneret, eodem quo vsus esset antea arti-
 ficio, hanc etiam tanto vastiorem Helepolim
 posse se dimouere negavit. Esse enim quædam
 quæ in paruis valeant exemplaribus, non va-
 leant item in magnis. Quod hinc licet intellige-
 re, quod terebra digitale foramen terebratur,
 palmare verò aut pedale ne cogitandum qui-
 dem videtur. Ac funda vnus pondo lapidem
 vibramus, decem autē aut eo amplius, non pos-
 sumus. Cùm hæc itaq; frustrata spes esset Rho-
 dios, ad Diognetum quem antea spreuerant,
 tanquam ad sacram anchoram vnâque salu-
 tis spem reliquam confugerunt. Qui diu mul-
 tūque oratus, egrè tandem exoratus, propo-
 sita sibi Helepoli pro stratagematis præmio,
 rei summam negotiique totius recepit. Is igi-
 tur qua machina accessura erat, ea regione mu-
 rum pertudit, & iussit omnes publicè & priua-
 tim, quod quisque habuisset aquæ, luti, sterco-
 ris, per eam fenestram per canales ante murum
 effundere. Quòd cùm sedulò effectum esset,
 postridie Helepolis vt ad eum locum accessit,
 luto adhæsit, ac neque progredi, neque regredi

postea potuit. Itaque Demetrius Diogneti do-
lis delusus, cum exercitu suo re infecta discede-
re est coactus. Quid? Hæc quorsum à me tam
studiosè commemorata sunt? Non medius fi-
dius ut me Mathematicæ historiæ peritum esse
demonstrarem, eius namque rei, mathemati-
bus aptè profitendis, non mathematicis narra-
tionibus orationi aspergendis, fides facienda
est. Sed quia studenti mihi summorum virorū
erga me merita & beneficia recensere, gratiis-
que ea agendis utcunque compensare, simile
quiddam Calliæ illius, parvam Helepolim in-
tra mœnia transferentis, vastam loco mouere
nequeūtis, in præsentia usu venit. Si nanq; mi-
hi de minoribus, & in scholis decantatis, atque
ex triuio dicendi argumentis, habenda foret
oratio, minus fortasse laborarem, & alicunde
orationis materiem compararem. At verò tan-
torū erga me à summis & illustribus viris col-
latorum beneficiorum magnitudinem, dicen-
do me assequi & complecti, nullo posse modo
profiteor. Hæc est enim illa Demetrica Helepo-
lis, quæ nequaquā similiter attolli sese & trans-
ferri patiatur. Ad quam maiores vires, maiores
admouendæ sint & adhibendæ machinatio-
nes. Nanque & Senatui agendæ sunt amplissi-
mi beneficij amplissimis verbis gratiæ, & pro-
fessoribus Regiis, & ceteris denique Mathe-
maticis. Senatui quidē, quod Mathematicam
monomachiam in tot ac tantis & publicis &
domesti-

domesticis occupationibus, non solum visendam, sed studio etiam summo visendam, nec tantum studiosè visendam, sed auctoritate etiā sua moderandam, nec moderandam modo, sed præmio etiam & corona ab se donandam & ornandāmq; sensit censuitque. Regiis verò doctoribus, quod & in constituendo certamine plurimum laborarunt, & ei frequentes affuerunt, & nostra studia studiis fouerunt & cōplexi sunt suis. Mathematicis denique, quod & Matheticam dimicationē præsentia, & nos calculis suffragiisque suis cohonestarunt. Ita ea nobis vniuersa præstanda sunt, quorum singula præstare posse, summæ in dicendo fuerit fœlicitatis. Quo fit vt valde animi pendeam, magisque in præsentia quàm qui lupum auribus, quod aiunt, tenent, dubitatione æstuem. Satiùsne sit tot illustribus viris gratiis agendis satisfacere conari, an meritorum magnitudine deterritū, cum bene iis fuero precatus, ad alia orationem meam conuertere. Etenim hoc in eo esse incommodi animaduerto, quod suscipienda eorum prædicatione, & tentanda gratiarum actione, non possum nō eorum dignitate longè inferiora dicere: atque ea prædicando, quàm silendo, tanto efficere exiliora, quantò dum in silentio iacent, nec maiora nec minora quàm reuera sint, apparent, & integra meditantibus sese offerunt. Oratio autem cōtra quàm velit facit, nam dum ea non expri-

mit, nec satis dignè tollit, ea extenuat. Ac veluti si quis pictor formosum & venustū corpus pictura auens exprimere, oculisq; subiicere, ipsius deinde pulchritudinē non imitādo assequatur, nemo non eum operæpretiū fuisse facturū dixerit, si aut non omnino pinxisset, sed ipsum per se spectari corpus siuisset, aut non in deterius expressum & assimilatum exhibuisset. Haud secus mihi facturus videor, vt dum de summorū virorū meritis, laudibúsq; orationē instituo, & prætereā multa, & multa iis detraham, vt consultius fuerit atq; prudentius nō ea omnino attigisse. Deniq; ei similiter faciā, qui cūm immēsum exercitū, vt puta Xerxis copias enumerare studeat, easque impensè stupeat & admiretur, decē aut viginti hominū milia conspicatum se esse ferat. Equitatū autem tantum & tantum, cūm vix cētesimam exercitus partē recenseat. Hoc in prædicandis beneficiis acceptis est incommodi, quid in reticendis? Ingrati crimē & immemoris animi, abs quo tantum abhorreo, vt eius vel suspicionem ipsam ipsa milies morte magis horream. Nam cūm hoc ieiuni & degeneris est animi, abs qui beneficium acceperis, eidem non reddere conari: tum verò hominum vitæ periculosissimum & perniciosissimum. Tolle enim de vita gratiæ referendæ vicissitudinem, & agendæ consuetudinem, omnem societatem, omnes contractus, omnia commercia, & beneficia sustu-

leris. Quid enim quis mereat vt gratis de ingrato bene mereri cupiat? vt non iniuria ingrati animi criminis actionem feuerissimam & accusationem Persæ constituerint, qui si quem cunctari gratiam referre animaduertent, grauissimè & acerbissimè vindicabant. Sic enim statuebant, ingratos & beneficiorum immemores, eosdem in colendis diis negligentes, in parentibus obseruandis tardos, in amicis diligendis segnes, in defendenda patria esse socordes consueuisse, & tanquam vmbra corpori, sic ei impudicitiam crimini, omneque flagitiū & turpe facinus comitari. Quade causa non mihi iam qui ita factus sum, vt erga benemeritos memor gratissimūque videri semper studuerim, in integro est, vtum velim facere, sed velim, nolim, hac mihi gratiarum actione perfungi est necesse. Quamquam spero multam me à vobis veniam & beneuolentiam esse consecuturum, si magis de grati ac memoris animi laude paranda, quàm de dicendi gloria, sollicitari & laborare videar: nec recusem quominus dum gratus habear, elinguis atque in dicēdo infans perhibear. Verum vbi tu Diognete? quin Calliæ opitularis laboranti? quin ad immensæ huius Helepolis molem solers aliquod & callidum comminisceris commentum? Non nostri hoc est consilij, tui est, tui, inquam, auxilij. Ecce autem quid mihi in præsentiarum succurrerit, aduertite.

Immortalis Dei erga hominum genus immortalibus beneficiis, quæ non dico lingua prædicandis, sed mens cogitandis & complectendis fuerit par vnquam futura? At idem tamen & olim auiculæ ac ouiculæ mactatu adorari gauisus est, & nunc modici thuris suffitu, cerei accensu, cymbalorum tinnitu, organorumque cantu, amat placari. Quid ergo vetat, quominus & nos pariter meccænatibus, quasi diis quibusdam nostris (Homo namque homini Deus) pro tanti beneficij compensatione, gratiis agendis, quasi quibusdam cereis ad eorum aras adolendis, litemus? Reges infimorum etiam munuscula, locupletes hortulanorum oluscula non dedignantur. Ne nostrum quidem, vt spero, studium gratumque animum illi quibus debemus, aspernabuntur. At tu minime omnium Senatus princeps amplissime Thuane. Nam quemadmodum Poëta ducendum esse ab Ioue principium monet, ita tu quasi dux atque primipilus initio constitutus, totum hominum bene de nobis meritorum duces ordinem. Te frater charissimus A. Thuanus Orator Regius, fratrem vir clarissimus Iohannes Guellius Regius Procurator: Guellium vir eloquentissimus B. Brissonus proximè sequetur. Comparebit in eodem agmine vir honoratissimus Lullius Mercatorum Præfectus. Qui quia communibus studiis rem literaria & Academiam profecuti estis, nosque

Christ.

Thuanus.

A. Thuanus.

I. Guellius.

B. Brissonus.

Lullius.

auxistis & ornaſtis, communibus à nobis laudibus tollemini. Quanquam quis ille tandem fuerit artifex, qui facinus tam egregium tamque ſingulare beneficium, ſatis dignè laudaue-rit? conemur pro virili tamen. Alexandrum Philippus pater quod lepidè in conuiuiſſo ceciniſſet, obiurgaffe fertur, cùm diceret, non tantum eſſe regibus ab regni procuratione otij, vt ad cæterarum artium cognoscendarum occupationem deſcenderent. Sed iucundum ſatis fore, ſi ad earum artifices audiendos, non nihil impertirent interdum temporis. Vobis verò, qui vt Atlas cælum ſuſtinere fertur humeris, ſic res imperiũque Franciæ, non minima ex parte ſuſtinetis, quod rebus grauioribus ſepoſitis, tantum nobis ad audiendum certamẽnq; moderandum operæ dedistis, atque ad literas reſtituendas, Academiãque inſtaurandam, ſignum ſuſtulistis, plurimum debemus, debet plurimum & Academia. Magnus ſanè honos, nec in poſtremis ducendum beneficium, quod publici princeps & author conſilij, Senatorẽſque illuſtriſſ. Mathematicę concertationi non adeſſe, ſed præeſſe voluerunt: nec auditores, ſed rectores: non ſuffragatores, ſed agonothe-
tæ fuerũt. At rem per ſe magnam præſtabilẽ-que, maiorem etiam præſtabilioremque facit, ſuſcepta ſponte opera, ſuſcepti gratis labores. Nam qui vel præmio adducti, vel mercede, vel honoris ſpe, atque glorię, operam nauet, mul-

ros videas. Qui verò nihil eorum spectans publicis consulat inseruiatque commodis, quotusquisque reperietur? Hoc igitur qui faciant, eos ego non cum hominibus præstantissimis, sed cum ipsis immortalibus diis, quos eo nomine δωτηρας εαών, hoc est, bonorū suorum largitores Græcus poëta vocat, conferendos & comparādos iudico. Reliqua quæ deinceps gesta sunt prætereo, quod ea vel pueris cognita iam inde ab eo tēpore cū gesta sunt, scio. Ut autem vetus ille in laudanda Helena dicebat Gorgias τὸ τοῖς εἰδόσιν ἂ ἴσασι λέγειν πῶς μὲν ἔχει, τέρεψιν δ' ἔ φέρει Res notæ quæ iis narrantur qui norunt, fidem quidē faciunt, oblectationem tamen nullam afferūt. Accessit dies laureæ decernēdæ præmiūque tribuendi, cum quidem nobis optimus quisque, maximè cuius priuatim, nihil publicè plurimum interesset, est suffragatus. Habita tamen est ratio, & reconditæ minimèque vulgaris doctrinæ Ioh. Stadij, & laborum, vigiliarūque superiorū. Itaque retinendum vtrumque & Academiæ condonandum censuistis. Quo quidem vestro iudicio & senatusconsulto, nō mitius, nec nisi mea me fallit opinio, potius præstabiliusque ferri vllum potuit. Quid enim magnū & præstantem illum virum, ab exteris oris ad decorandam vestram academiam accedentē, repudiaretis? At illo repudiato, non quisquam fuerat in posterum ab longinquis regionibus ad

deferendam vobis suam opetam venturus. An contra industrium & laboriosum adolescentem, vobisque pridem addictum & venditum respueretis? At illo præterito, non ad pulcherrimas artes colendas & tractandas, atque ad academiam illustrandam, vestrarium quisquã & popularium fuerat animum applicaturus. Euge igitur viri sapientissimi. Iam enim vobis nō meo tantum, sed competitoris pridem mei, nunc verò collegæ Iohan. Stadij, atque adeò totius academix nomine, quòd Stadio academiam, academia Stadium donastis, debere me arbitr or. Cæsaris videlicet prudentissimi prudentissimum imitari iudiciū voluistis. Namq;
Dum peteret pars hæc Myrinum, pars illa Triumphum,

Promisit pariter Cæsar utraque manu.

Vnum restabat providendum, ut stipendia utriusque quæ ad vsus vitæ necessarios, cultumque satis essent, sufficerentur. quod vos etiam prudentia sapientiâque vestra providistis, ac promissi beneficij fidē proximis paschalibus præstandam, in vos ipsi recepistis. Iam verò quid tam nouum, tamque inauditum, quàm tales tantosque viros literariis certaminibus interesse? frequentes fuistis. Rem totam ductu suo gerere? vos verò gessistis. De constituendis professoribus laborare? vos ipsi constituistis. Præmia denique decernere, decreuistis: & ita quidem decreuistis, ut victor uterque, victus neuter discesserit. Quid velis amplius? At hoc vo-

8
bis nequaquam fuit satis. Nam quemadmodū
rebus omnibus necessariis suppeditaremur, ra-
tionem iniistis, próque vno Mathematico
constituendo, duos simul creastis. Ergo Rami
vnum beneficio obtinebit Academia, alterum
vestro. Quāquam quid ego dixi alterum, cum
vtrunque vobis, hoc est diligentiae ac sedulita-
ti vestrae alterum, alterum munificentiae ac li-
beralitati, acceptum referat academia? Pergite
igitur viri clarissimi, Galliam Parisiensi Acade-
mia, Academiam professoribus, professores
honoribus ac praemiis ornare: Quódque in-
choatum & pulchrè descriptum ac informa-
rum munificentia vestra voluit, hoc idem per-
fectum & absolutum curate. Vobis Academia
genere in consimili referre gratiam non pote-
rit, at habebit. Merita vestra & beneficia nun-
quam æquauerit, at prædicabit. Habet enim
laudes, habet præconia, quibus euergetas re-
muneretur suos, quorum illa nomen ad sem-
piternam consuevit memoriam, immortalē-
que gloriam consecrare. Plato quidem graue
esse aiebat, disertam & eloquentem ciuitatem
infensam habere atque infestam, quòd ea la-
cessita, iniurias suas, perpetua infamiae nota &
ignominiae inurenda, vlciscatur. Contrà igitur
ne paruum ille se quiddam esse consecutum
existimet, qui eloquentem Academiam laudum
suarum buccinatricem sit nactus. Alexander
quidem cum ad Achillis in Sigeo tumultum
astitisset,

astitisset, ô fortunate, inquit, adolescens, qui
 laudum tuarum præconem inueneris Home-
 rum, nam nisi Ilias illa fuisset, qui tumulus cor-
 pus tuum regit, idem nomen etiã obruisset. Et
 vos fortunati quoque Senatores qui vestra-
 rum laudum & virtutum cantatricem Acade-
 demiam eloquētissimam paraueritis, quæ qui-
 dem earum sit præstantiam & diuinitatem im-
 mortalitati commendatura. Hæc dum in Ly-
 cæo gererentur, aberas virtute & doctrina, &
 opibus clariss. Belleuræ. Qui si per valetudi-
 nem adesse tibi licuisset, mathematicæ huius
 monomachiae pars, credo, fueras non minima,
 futurus. Cuius rei plurima mihi & certissima
 suppeditant argumēta. Quod literatorum stu-
 diosissimus semper fuisti, eosque singulari quo-
 dam amore & beneuolentia comprehendisti.
 Quod in grauissimis occupationibus Ærarij
 regij, cui præfectus es, musarum antistites va-
 tēsque, nunquam non placidè excepisti. Deni-
 que quod de huius ipsius certaminis & dimi-
 cationis iudicio, rectè & absque omni gratiæ
 corruptela, opumque vi constituendo, tam so-
 licitus fuisti, quàm si non nostra res, sed tua
 ipsius propria adducta in discrimen & certa-
 men fuisset. Itaque si gratiam tuam, si commē-
 dationem, ad æquitatem causæ meæ defendē-
 dam, meamque solitudinem contra quorun-
 dam opes, quorundā consilia tutandā, valuisse
 nihil dixerim, mentiar impudentissimè. Nam-

*Pomponius
Belleuræus.*

que hoc ipso nomine, tanto in ære tuo sum, ut
te creditorem semper & agniturus sim & pro-
fessurus. Quanquam non mihi aut primo id
aut soli contigit, iam enim pridem familiæ hoc
Iohannes. vestræ, hoc est, tibi fratrique clarissimo quasi
Belletræus. diuino quodā fato, vestrone dicam, an erudi-
torum an simul vtrorumque, accidit uti certis-
simis essetis literatorū perfugium & Asylum.
Nam quemadmodum muscas gregatim lac
circūnuolitare canit Homerus,

Ἡὺτε μυάων ἀδινάων ἔθνεα πολλά,
Αἴτε κατὰ σταθμὸν ποιμνήϊον ἠλάσκουσι,
Ὡρῇ ἐν εἰαρινῇ ὅτε τε γλάρος ἀγέα δεύει.

Sic ad vos non iam singuli, sed toti litera-
rum greges & familiæ conuolant. Pergite igitur
& vos pariter eos complecti, ac sic habete,
qui literas colant & disciplinas maximè, eos-
dem erga vos fore gratissimos. Me quidem
vobis non secus atque illos, qui vitæ, qui ne-
cis, qui fortunarum olim omnium cum do-
minis suis perpetuam societatem coierant,
qui deuoti vocabantur, deuotum vobis habe-
bitis & mancipatum. Dixi de Senatu, ad Re-
gios doctores venio, in quibus etsi, quem pri-
mum nominem, quem secundum teneo, quid
tamen primum quidque secundum memorè,
non habeo. sed quemadmodum qui fœcunda
ingrediuntur vineta, dubitant, quas potissimū
vuas decerpant, alię namque ad se inuitant, re-

uocant & ad se vocant alia. Sic in tot lectissimorum virorum laudibus, tam multa mihi occurrunt dicenda, ut in delectu habendo hæc, mihi ut non tam copia, quam dicendi modus esse quærendus videatur. Accipies igitur à nobis grati indicem animi orationem Reginarum Decane professorum Iohan. Quinquarborum. Equum porro est, te qui quotidie fundendis pro gymnasio tuo atque adeò nobis omnibus in sacrario tuo immortalis Deo precibus, & gratiis agendis, clementem experire Deum, haud secus nostra hac grati animi testificatione placari. Tibi verò quibus verbis gratias agam, aut quo te modo affari queam, illustriss. & diuino deuotissimè cultui Leodeg. à Quercu? Quem si beneficium appellem, commune videatur. Si meccenatem, etiam id tuis fuerit meritis leuius. Si parentem, vix etiam tum satis animo meo fecero. Quid igitur? nouum ac singulare genus beneficii, nouum ac singulare quærit insigne appellationis. Ergo tu mihi meusque Deus dicere,

Iohā. Quinquarborum.

Leodegarius à Quercu.

*Tu siquidem is Deus es nobis qui hæc otia fecit,
Ergo eris ipse mihi semper Deus.*

Quoties enim ego te vota immortalis Deo facientem vidi, ut dicendi mihi & dimicandi euentus ex sententia procederent, uti ne usquā incurrerem nec impingerem, ne animo exciderint quæ constituissem dicere, Denique cum strenuè & fortiter dimicassem, liberè ut iudi-

cibus iudicandi & Mathematicā digniori lau-
reā tribuēdi potestas esset? His ego nomini-
bus non tibi me obstrictum & obligatum mi-
nus, quā parenti filium iudico. Et quoniam
eo haberi loco cupio, eūque in quo tu me
studiis constituisti tuis ordinem tueri. (Est au-
tem bene instituti ac informati filij, parem re-
ferre parenti gratiam,) iam etiam ipse *ἀντιπε-*
λαργεῖν conabor, prōque istis votis pro pre-
cibus ac solitudine, vota, preces, solitudi-
nem repēdam. Qui annos quadragenos octo-
nos & publicē & priuatim humanitatis artes
summa docere cum gloria non destitit. Qui
plures artium doctores genuit, quā cæteri
habuerunt auditores. Plura scripsit volumina
quā plerique libros legerunt. Plures vnus ar-
tes calluit, quā multi simul tenuerunt. Qui
denique Galliam, qui Europam disciplina cō-
pleuit sua, Leodeg. à Quercu floreat, nestoreos
que annos morbi expers, expers ægritudinis,
omnibūque circumfluens copiis exigat, or-
nans patriam, ipse à patria vicissim ornatus &
honoratus. Summa autem ipsum & profunda
confectum & fatiscentem senectute, annisque
exaturatum, cælestium chorus excipiat diuo-
rūque concilium.

*Ludovicus
Duretus.*

Sequitur illud Regiæ scholæ, scholæ Me-
dicæ, Academiæ, Galliæ, Europe, ætatisque hu-
ius fulgentiss. quoddam lumen: alter videlicet
dicendi laude Atheniensis Demosthenes, alter

medendi facultate Cuius Hippocrates Ludo.
Duretus. Cuius illud ornatissimæ orationis
mel, ea dulcedo est, vt ab eo dicendi laudem
& gloriam tantum non ab rostris & subselliis
ereptam, & in regium gymnasium illatam &
importatam videamus. Ea porro salutaris ar-
tis cognitio, ipse vt medicorum princeps Hip-
pocrates hac demum ætate reuixisse, Aut si eius
mihi cum Pythagora dicti à vobis impunitas
concedatur, tot ætatibus, tot seculis, tanto in-
teruallo, Duretum sibi per quem in vitam re-
diret, vnum ex omnibus delegisse videatur.

Iohā. Pellerinū de facie nostis omnes. At eius *Iohan. Pel-*
doctrinæ & eruditionis thesauros, & morum *lerinus.*
integritatem vitæque sanctitatem, norūt pau-
cissimi. Multa & magna habet prompta, plura
& maiora recondita. Itaque hominem omnes
quidem laudabunt, cordati verò & eruditi
etiam mirabuntur & stupebunt. Qui si quam
splendidam & copiosam habet supellectilem,
quod vestis stragulæ, quod Corinthiorum va-
forum, quod auri & argenti signati, quod in-
fecti, tam eorū esset omnium inanis & vento-
sus ostentator, nemini profectò cederet om-
nium. Midarum ille æquaret diuitias & Cræ-
sorum, hoc est, Lycæi & Academia.

Gilberti Genebrardi incertum doctrina ne *Gilb. Gene-*
illustrior, an vitæ sanctimonia insignior. Esse *brardi.*
enim vir ille videtur, theologorum sanctissi-
mus, sanctorum theologiæ peritissimus. Cu-

ius si quemadmodum decem Nestoris optat
similes Agamemnon, sic similes theologos de-
cem haberemus, repente profectò eorum icta
& tacta fulminibus corrueret omnis hæreti-
corum natio.

*Symeon
Malmed.*

Symeon Malmed. magni est successor viri,
maximus ipse vir. Cuius perspectas vobis om-
nibus laudes tacebo, vnam minus, vt opinor,
cognitam & peruulgatam euulgabo: Cùm
nanque de 500. libell. supplemento inuenien-
do disceptaretur, centenas ille se de professio-
nis suæ stipendiis, si res ferret, esse numeratu-
rum ostendit. O generosam & liberalem ge-
nerosi liberalisque vocem viri! quæ declarat
& illum professioni suæ, & ipsius professionem
aliis constituendis professionibus natam. Eras
scilicet non tu Rameæ modo eloquentiæ suc-
cessor Malmedianæ, sed successor & beneficen-
tiæ. Ac ita successor, vt ipsum superaturus fue-
ris Archetypum. Illius nanque liberalitas pro-
fuit mortui, tua etiam viui videntisque fuerat
profutura. Hoc cùm tu iã nũc sis animo, quan-
to maiora abs te Franciã sperare in posterũ iu-
bes & expectare. Tibi igitur ad eiusmodi qui-
dẽ vsus & liberalitatẽ Malmedianæ omnibus-
que Rameę æmulis munificentiæ, aurũ formicę
eruant Indicæ, aurea fluat Tagus arena. Nec-
non & ei qui ab eadem non longè aberrauit
nec abhorruit sententia Iohan. Comiti medi-
co sanequàm erudito, cuius doctrina & erudi-

Ioh. Comes.

tio perspecta omnibus & explorata tolli celebrarique recusant.

Nicolai verò Gulonij cùm multæ sunt laudes eximiae, vel singularis vigilantiae, vel summæ Græcarum literarum cognitionis & Philosophiæ, tum verò illa maxima, quod in eius prope vnius animula, sitæ sunt, & periclitantur hodierno die totius opes Græciæ.

Iam in Mart. Akakia sexcenta sunt quæ summo queant iure laudari, sed vir laudatissimus, hoc etiam esse laudatior videtur, quod cùm id agat, ut sua omnia summa sint laude dignissima, se tamen prohibet & verat laudari.

M. Akakias.

Nam quid de Ioh. dicam Passertio? quem in hæc tempora diuinitus mihi reservasse videtur fortuna patriæ, ne Latinitas & eloquentia ab vno cultæ & retentæ Leodeg. à Quercu, nostra vnquam Francia dilaberentur.

Io. Passertius.

Tuas ego Demerlieri laudes, quæ sunt plurimæ, quas pluribus ego alias sum persecutus, idem easdem nunc liberiore iudicio, & ab assentandi suspicione vacuo, quantum in me quidem est fidei confirmo.

Io. Demerlierus.

Denique Iacobus Helias Regio mihi esse iudicio ornatissimus videtur. Siquidem principibus placuisse viris non vltima laus est.

Iacobus Helias.

In hoc idem ego te album referam, recentis fidus illustrissimū Academiae Mari Ambosi. Anne enim ego te Regium professorem non numerem, quem eruditio tua doctorem,

Mar. Ambosius.

Regia liberalitas, etiā Regiū doctore creauit,
Academia verò rectorē designauit, idque mi-
hi vsqueadeò meritis erga me tuis cōiunctum?
Et quoniam Regiorum professorum præclarè
de nobis meritorum laudatione, non pro eo
quantæ ipsorum laudes sunt & officia, sed
quantū & per temporis angustias & per inge-
nij nostri tenuitatē licuit, perfuncti sumus. Et
huius euergetarum nostrorum exercitus, ha-
statos primo, tum autem principes constitui-
mus, deinceps triarios disponamus. Has autem
idcirco in angustum cogere cogimur copias,
quod ad eas dilatandas temporis spatium bre-
ue nobis superest & angustum.

*Franc. Can-
dalla.*

Huius autem ductor erit legionis Franciscus
Candalla, genere & natalibus nobilissimus,
virtute etiam nobilior, nobilior mathematicis
disciplinis. Virtus namque hominis & iustitia
ea est, vt non spe, non gratia, non vllis cuius-
quā machinationibus dimoueri à recto queat.
Literæ verò eiusmodi, vt eo non nobilium e-
ruditor, eruditorum sit hodie quisquam no-
bilio, Ac quemadmodum vnus supra omnia
sol clarissimus fulget sydera, sic inter mathe-
maticorum ætatis nostræ lumina, vnus elucet
maximè, cuius ego virtuti id vnum optabo, vt
quàm de nobis, quàm de literis est bene meri-
tus, tam ille superos nanciscatur propitios.

Postellus.

Iam vero Iac. Postelli virtutes & literas, non
mihi si centum linguæ sint, oraque cētum, fer-

rea

rea vox, enumerate queam. Non plures norat Mithridates linguas, qui plurimas nouisse fer-
tur. Non eorum quisquam Philosophiæ fuit studiis clarior, qui fuerunt clarissimi. Secretio-
ra porrò atque aut paucis, aut nulli cognita Theologiæ callet mysteria. Mathematicas qui-
dem artes sic tenet, quasi eas vnas toto vitæ curriculo (quod longum ei superi tribuerunt, longius etiam tribuāt) esset professus. Denique nequid hominis virtute inferius dicam, sed omnia quoad eius fieri potest complectar. Om-
nium est homo linguarum, omnium artium & disciplinarum, omnis virtutis promptuarium.

In Hollerio Consiliario eximiumne & præ- *Hollerius.*
cipuum candorem & virtutis indolem prius, an multiplices literas laudem addubito. Nam cum totus teres, totus rotundus est, & æqui iu-
stique cultor diligentissimus, tum verò Græ-
carum literarum scientia & latinarum, & phi-
losophiæ, & Iuris ciuilis disciplina, & antiqui-
tatis scientia, & his ipsis mathematicis stu-
diis, facile in principibus Iurisconsultorum & Senatorum.

Iam verò tuis cœli contemplator Brosi *Brosius, Eg-*
& Astronomorum coryphæ, tuis Iurisperi- *gresinus, The-*
torum decus Egrefine, tuis ornatiss. *uetus, Sarti-*
The- *lius.*
te, tuis architectorum peritissime Sartili, lau-
dibus recensendis, brevis hora, brevis fue-
rit dies futurus. Atque hi quidem ferè sunt,
quorum nos salutare, Academia fructuosam

experta est operam. Vtinam verò Dij immortales fecissent, ut plures etiam mihi numerare licuisset. Beatum ego me & fortunatum duxissem, quàm plurimorum illustrium virorū studiis adiutum & sententiis ornatum fuisse. Et enim equos alij, seruos, mancipia, ædes, villas, prædia numerent. At ego beneficos numerabo & amicos. Et quantum villis illi suis obeundis voluptatis capiunt, tantum ego fautorū meorum erga me officiis meritisque prædicandis lætabor, easque semper multo pulcherrimas & pretiosissimas possessiones iudicabo. Dixi de amplissimi Senatus, dixi de Regionum professorum, dixi de cæterorum mathematicorū erga nos & Academiam meritis, laudes etiam breuiter perstrinxi: Quarum tamen haudquam me excellentiam dicendo esse consecutum sentio. Nec omnino facile aut procliue fuit. Est enim non modo non minus, verum etiam multo plus operis, rebus magnis aptam & congruentem orationem inuenire, quàm paruis & exilibus, magnitudinem laudēque dicendo affingere. His siquidem nulla subest nec subiecta est seges atque materies. Illis, nulla satis ampla atque magnifica reperiri & excogitari potest oratio. Quare quod mihi vnum superest Homericum illum imitabor Vlyssē. Vlysses namque à Phæacibus hospitio humanissimè exceptus, ab iis abiens, se ea quæ concupisset assecutum proficitur. Ut ab

iis egregiis muneribus donatus discederet, eaque ut bene sibi verterent, ab Diis immortalibus precatur. Simul verò uti cum teneris coniugibus & liberis, facilè & tranquillam Phæacum populus ætatem transigat, omnibusque ab Ioue virtutibus cumuletur, nec vllum intra regionis fines ditionemque malum grassetur. Ita & ego si nihil aliud, at bene de me meritis ea quæ maxima dari possunt hominibus bona optabo, Vlyssæamq; euergetis salutem dicam,

Χαίρετε δ' αὐτοὶ

Ἦδη γὰρ τετέλεται ἄ μοι φίλος ἦθελε θυμὸς,
Πομπὴ καὶ φίλα δῶρα, τὰ μοὶ θεοὶ ἔρξαντες
Ὀλύμπια ποιήσαν.

Ὑμεῖς δ' αὖθι μύροντες, εὐφραίνοιτε γυναῖκας
Κουειδίας καὶ τέκνα, θεοὶ δ' ἀρετὴν ὀπάσειαν
Παντοίῳ, καὶ μή τι κακὸν μεταδήμιον εἴη.

(Faint, illegible handwritten text)

D 11